

AD AVDIENDAM

*8. III. Sept.*

ORATIONEM INAUGURALEM

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE  
PRORECTOREM MAGNIFICVM,

ILLVSTRISSIMOS COMITES,

PROFESSORES OMNIVM ORDINVM EXCELLENTISSI-  
MOS, CELEBERRIMOS,

GENEROSISSIMOS NOBILISSIMOSQVE ACADE-  
MIAE CIVES,

HOSPITES, BONARVM LITTERARVM FAVTORES  
ET CVLTORES,

EA QVA PAR EST OBSERVANTIA ET HVMANITATE  
INVITAT,

ATQVE PAVCA DE

ENDORENSI PRAESTIGIATRICE

PRAEFATVR

ANDREAS GEORG WAEHNER

P. P. E.

---

G O T T I N G A E.

APVD ABRAM. VANDENHOECK, ACADEMIAE TYPOGRAPHVM.

W. W. WELLS

OF THE NEW YORK STATE

LIBRARY

ALBANY, N. Y.

1878

WELLS

LIBRARY

ALBANY, N. Y.

58700/81



ALBANY, N. Y.

LIBRARY

ALBANY, N. Y.

LIBRARY



**P**raeiudicia quantum sint fascino, Saulis, primi Israëuitarum regis, qui à flagitiosa femina sibi scelestissime illudi patiebatur, facinore edocemur. (a) Populi, cui ex tot Mosis ceterorumque vatum monitis persuasissimum esse & poterat & debebat, non nisi vanitatem esse idololatriam & artes magicas, rex erat. Ipsum regem hoc probe intellexisse, ex eo efficiatur, quod pythones & hariolos ex regno suo solícite exterminauerat. Non tamen philosophicam eius cognitionem fuisse, sed mere historicam, quae praeiudiciis tempestiue resistere non potest, quippe à quibus ipsa vt opaca umbra à densissimis differt tenebris, hoc suo facto, cuius modo mentionem fecimus, prodidit. Ita enim quorundam comparata sunt praeiudicia, vt non nisi in dubiis causis casibusque ancipitibus perspiciantur. Quas fêlix riserat magicas artes, ad eas, à Philistaeis pressus, & oraculis diuinis destitutus, anxius confugit, à femella turpissime ludificandus.

Non

(a) 1. Sam. XXVIII.

Non miramur, ex plebe Christiana multos reperiri, qui spectris fatidicisque artibus nescio quid tribuant. Sunt hae papatus inter nos reliquiae. Quid enim superstitione facilius imbecillos & aniles animos occupet? Hoc vero miramur, fuisse in viris, qui eruditionis laude claruerunt, non paucos, qui his rebus, ne pro meris haberentur ludibriis, id quod statuere periculosum existimabant, ex hac Saulis historia praesidium quaeri posse existimarent. Id iam agemus, vt paucis ostendamus, ad sacras litteras hac in causa frustra prouocari. Si enim, quae de Endori pythonissa tradita nobis sunt, probe perpendantur; feminam illam astutam quidem malitiosamque fuisse, nullum vero ei vel cum daemonibus, vel spectris, vel mortuorum animabus, quod habere videri volebat, commercium fuisse, intelligemus.

Non iam nostri est instituti prolixè disquirere, quo tempore, quoque loco haec sint gesta; non, quid *obb* (אוב) sit, cuius ope femina ista res tam admirandas praestare posse videri volebat. Paucis monuisse sufficiat, venisse Saulem ad praestigiatricem paulo ante quam in proelio contra Palaestinos maritimos caderet. Habitasse eam (b) *Endori*; (עין רור); quod limitaneum Issacharidis & Manassitidis oppidum fuit. *Obb* (אוב) nobis *Apollo* est: Femina igitur (c) *baalath Obb*, (בעלת אוב), *pythonissa*. Quibus praecognitis, ad rem.

Cum

b) v. 7.

(c) v. 7.

Cum Saul ad astutam hanc feminam, consultum quid factu sibi opus sit, & quisnam belli exitus futurus, accessisset; illa, ignorare se quocum loqueretur, simulabat. Ex multis enim verosimile fit, regis personam ei vel incognitam non fuisse, vel saltem ex comitibus eam satis mature didicisse, hunc regem esse; licet se id scire usque ad id temporis momentum, quo responsum edendum erat, studio dissimularet; quo facilius regis animum fascinaret. Sua enim intererat, ut rex crederet, se ab apparente spectro id didicisse. Neque dubitamus, quin in principio strenue quoque negauerit, se eiusmodi feminam esse; donec, serua regis voluntate cognita, confiteretur tandem; neque tamen magis regis desiderio se gratificari velle simularet, iusiurandum de non vindicando & maius praestigiarum praemium astuta extortura. Non quidem singulas hasce circumstantias exprimit scriptor sacer; ponit tamen eas, ex quibus ceterae facile intelliguntur. Temere fingere non decet interpretem. Colligere autem ex iis, quae succincte à scriptoribus exponuntur, cetera, quae tam prolixè describi non potuerunt, hoc vero quam maxime eum decet. Animo praesens factò fit interpretis oportet. Nosse debet scribentis, dicentium, agentium, personas, animum, mores, scopum, intentionem, consilia; si recte de rebus iudicare velit. Sed illuc reuertimur, vnde digressi eramus.

Secura iam de non timenda poena praestigiatrix, diuinationis praemio accepto, in conclaue aliquod

regem deducit; ipsa seorsim it, ita tamen, vt colloquentis cum rege vox exaudiri, ille vero artes eius cernere non posset. Ibi Samuelem ex terra prodeuntem se videre exclamat; Quem tamen ipsa non magis quam rex videbat. Vocem Samuelis imitata, vehementissime in regis impietatem inuecta, eum belli exitum futurum praenunciat, quem futurum, si pauca excipias, quae vtrum euentu comprobarentur necne parum curabat improba, quilibet prudens facile praevidere poterat. Ita deceptus miser rex audiuit, non quae volebat, sed quae debebat, praesentissimam imprudentiae suae, quod à mortuis auxilium expectaret, poenam daturus.

Non in eodem, quo regem, sed diuerso conclauui, mulierem fuisse, scriptor sacer expressis verbis monet; scribens, eam, finitis praestigiis, ad regem ingressam, penitus perturbatum illum inuenisse. (d) Ergo, cum oraculum ederetur, in eo conclauui, in quo rex erat, non fuit. Accedit, quod rex nihil eorum, quae facta esse mentiebatur femina, oculis suis viderat. Cum enim illa exclamare inciperet; tum rex: (e) *Quid vides?* Cumque illa, se daemonem videre, diceret; rex, (f) *quaenam eius species esset,* sciscitabatur. Quid interrogatu opus fuisset, si vidisset? Quidni vero vidisset, qui coecus non erat, si in eodem conclauui fuisset rex, in quo

(d) v. 21.

(e) v. 13.

(f) v. 14.

quo apparitio fiebat? An forte persuasit regi, illum id videre non posse, quod ipsa videret? Fingi hoc poterat; nisi scriptor facer eam apud regem fuisse negaret.

Quid vero ad nos, vtrum rex quoque viderit apparentem Samuelem, an sola mulier? Apparuit sane, si haec eum vidit. Et sic immota stat de spectris, & quod spiritus adiurari possint, thesis. At vero nimiae credulitatis merito accusatur, qui tali a-niculae, lucro inhianti, fidem temere habeat. Saub nihil vidit; Nec ipsa quicquam vidit. Eaque causa erat, ob quam in diuerso conclauis manere iubebatur rex, in quo audire quidem poterat, quid in altero illo, in quo anus erat, diceretur; non autem videre, quid ageretur. Ita sane suscipiendum negotium erat, vt oculis, quibus bene videbat, coecutiret rex; si dolus ex sententia succedere deberet. Praemonendus erat rex, ne accedere aude- ret; nisi in praesentissimum vitae periculum incur- rere vellet. Qui hodiernum nebulonum istorum mos est, vt remoueant eos, quorum de corio ludi- tur, qui impie superstitionum inimicos absentes in sacco se plagis afficere fauciosque reddere posse gloriantur. Annon vero hac ratione facillimum erat, vt regi persuaderet astuta anus, se Samuelem videre? Cuius, qualis in viuis fuerat, habitum in- terroganti depingebat. Annon nomine Samuelis, vocis eius sonum mentita, dicere ipsi poterat, quic- quid lubebat? Non opus erat, vt alium pro se sub- stitueret, verba ad regem facturum; id quod non-  
nulli

nulli volunt: Quae si ipsa plures simul personas agere non didicisset, pythouissae nomen non meruisset. Quod si quis tamen malit, doli focium habuerit. Nam sic quoque, quod volumus, habemus.

Quomodo supersedere possumus disputationibus, produxeritne anus, adiurationibus suis, ipsum Samuelis animum, qui corpore vestitus, videndum se, deo permittente, praebuerit; an a daemone, qui futura regi praedixerit, effictum fuerit phantasma. Corruente vtraque sententia, dubia quoque simul evanescent, quae contra eas afferri solent. Fraus erat aniculae, non vera visio. In qua detegenda, iustissimo diuino iudicio, talpa coecior erat rex; quem, seuerissimi diuini interdicti oblitum, Pythouis opem implorare, mortuosque consulere, non pudebat. Quae iustissima quoque omnium eorum poena est, qui Saulem hac in re imitantur. Quorum fortasse nulli hodie essent futuri, si Saulem ludificatum, & se pessime ab improbis ludificari, non ignorarent.

At auderetne anicula tam acriter regem obiurgare? Poteratne verba, quae Samuelis mentem tam exacte exprimerent, proferre improba? Annon verosimilius fit, eam, si ipsa locuta fuisset, vana spe regem lactaturam fuisse? Quidni vero ausa fuerit, quae regi persuaserat, non se, sed Samuelem, loqui? Neque difficile illi erat, inuectiuas repetere, quibus Samuelem in regem vsum esse  
vni-



vniuerso populo innotuerat. Spem victoriae cur regi facere nollet, plures vna suberant rationes. Implacabili eam odio prosequutam fuisse regem, qui omnes pythonissas & hariolos regno suo eiecerat, non est cur dubitemus. In eo iam statu res regis positaerant, vt contemnere eum inciperet; quem à Palaestinis maritimis premi nouerat; & breui, nisi honestae morti turpem fugam praeferre vellet, cum copiis suis interiturum praeuidebat. Praesentem vindictam, propter acceptam à rege fidem, non timebat. Futurae, si praeter spem atque opinionem saluus rex euaderet, fuga se anteuertere posse confidebat. Minus denique apte Samuelis personam egisset, si Samuelis tantummodo vocem, non orationis argumentum, quale à viuo saepius audiuerat rex, imitari voluisset, sed diuersa respondere. Animo igitur obsequuta, in quem summo inflammata odio quiduis sibi iam licere existimabat, acerbissima regi in faciem eloqui, omni reuerentia abiecta, non dubitabat; oraculo tristissimo perterritura, & ante caedem enectura.

Valeant haec de inuectiuis. De futurorum autem praedictionibus quid fiet? At vero quaenam hae erant? Exercitum Israëliticum per Palaestinos maritimos fuisum iri, ipsumque regem in acie occubiturum. Quis vero nostrum, si praesentes fuisset, regi hoc verosimiliter praedicere non potuisset? Quantae hostium copiae fuerint, quam tenuis suus apparatus, Saulis timor, qui imperterritus alias hostibus obuiam ire consueuerat, testa-

tur. De morte regis an vera praecise praediceret, parum sollicita erat audacissima anus. Artibus suis magicis detectis, Endori sibi in posterum non tutam fore sedem praeuidebat; siue Saul ueretur, siue in acie caderet. Imo vel magis successor, quam Saul, erat timendus. Cur igitur anxiam eam haberet, vtrum vera an falsa Sauli, quem se dein nunquam, quomocumque res caderet, visuram confidebat, responderet? Largiamur autem, de fuga non cogitasse aniculam. Quid responderi poterat Sauli reuertenti, & editi falsi oraculi eam arguenti? Risura eum profecto erat; Cui non poterat non in promptu esse, non se, sed Samuelem respondisse. Tua culpa est, dictura erat, quod veriora non audiisti, qui Samuelem euocare iussisti. Illumne, ab expeditione contra Amalekitas ex voto suo non suscepta, inimicissimo semper in te animo fuisse meministi? Fuerunt odii huius fractus, vt Dauidem contra te sollicitaret; ciuibusque, si non palam, sane clam, coniurationis contra te autor esset; voluntatem diuinam praetendendo, qui in locum tuum, regno exuendi, Dauidem sufficere decreuisset. Sperare sane non poteras, Samuelem ab inferis euocatum Samueli viuo esse contradicturum. Tandemne intelligas, Samuelem non verum vatem, sed seductorem, fuisse? Si alium produci iussisses, auditurus fuisses veriora. Haec & similia ab sagaci femina regi opponi poterant; Quibus si fidem haberet, non poterat non in peius ruere, vt diuina vaticinia pro falsis, & diabolica mendacia pro veris, reputaret.

Quid

Quid vero denique fiet de aperto sacri scriptoris testimonio? Is sane dicit: (g) *Vidit femina Samuelem.* Porro: (h) *Intellexit Saul, eum esse Samuelem.* Dein: (i) *Tum dixit Samuel Sauli,* Et iterum: (k) *Dixit Samuel.* Denique: (l) *Magnus Sauli per haec Samuelis verba incussus est terror.* Ab exegeteos imperitis aliqua cum specie haec nobis opponi posse non negamus. Salua autem res est. Dubia tanti non sunt. Quis est, qui ignoret, eum scriptorum esse morem, vt res interdum non ex mente sua, sed eorum, de quibus sermo est, narrent? Scriptor sacer, breuitati studens, cuius prae ceteris studiosissimi sunt Hebraei, rem, non qualis re vera fuerit, sed qualem eam esse mendax femina credi voluerit, qualemque esse Saulis credulitas imponi sibi passa sit, exponit. Ad euitandas igitur superfluas verborum ambages, vbi scribere debebat: *Mentita est femina, se videre Samuelem;* scribit: *Vidit femina Samuelem.* Quae cum interroganti regi eum Samuelis habitum, quo viuis vti consueuerat, delineasset; subiungit: *Intellexit igitur Saul,* ex mendaci hac femellae descriptione, cui magis quam par erat credulus fidem haberet, *eum,* cui habitum pro lubitu affinxerat, *esse Samuelem.* Samuelem, dum viueret, ita vestitum fuisse. Eadem styli breuitate scriptor sacer pergit:  
*Tum*

(g) v. 12.

(h) v. 14.

(i) v. 15.

(k) v. 16.

(l) v. 20.

*Tum Samuel dixit Sauli; id est, audiuit Saul oraculum, quod ille ab euocato Samuele edi credebat; inscius, vel ipsam anum, vel quemlibet ab ea substitutum, Samuelis & personam & vocem mentiri. Perque huius non veri, sed supposititii Samuelis verba regi terrorem incussum scriptor sacer testatur.*

Concisor autem dicendi scribendique ratio, quae Hebraeis natiua est, sacro scriptori vitio verti non debet. Minime vero, cum de rei gestae veritate non disputet; sed nudi historici personam sustineat, qui ea, quae ex Saulis opinione vel comitum eius relatione apud fatidicam facta erant, exponit. Interpretis est, ex rerum circumstantiis, ipsaque earum natura, de scriptoris verbis iudicium ferre, & quae vera eius mens sit inuestigare; nisi turpius sua ipsius imprudentia, quam Saul praestigiatrix vanitate, decipi velit.

Non sumus ex iis, qui omnes spectrorum apparitiones &, si quae sunt, praestigias strenue negant; licet nec nimis creduli narrantibus fidem facile habeamus. Experientia enim propria, quam neque vehementer optamus, destituti, melius nos facturos iudicamus, si hanc controuersiam in dubio relinquamus. Ostendisse nobis sufficiat, spectrorum sagarumque patronis parum nihilue praesidii ab Endorensi illa praestigiatrix sperari posse. Saulis exemplo demonstratum dedimus, quam se turpiter dent, qui credulitate, quam penitiori rerum perspicientia, diiudicare res malunt. Specimen pro-

posuimus, quid in legendis recteque intelligendis veterum cum sacris tum profanis monumentis valeat philologia.

Meum erit, eodem tramite alacriter pergere, in praelectionibus cum publicis tum priuatis; cum  
SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE  
PRINCIPI AC DOMINO,

GEORGIO II.

MAGNAE BRITANNIAE, FRANCIAE  
ET HIBERNIAE REGI, DEFENSORI  
FIDEI, BRVNSVICENSIVM ET LVNE-  
BURGENSIVM DVCI, S. R. I. ARCHI-  
THESAVRARIO ET ELECTORI, DOMI-  
NO MEO LONGE CLEMENTISSIMO, pro cuius  
salute regnique incolumitate vota quilibet facimus  
ardentissima, visum fuerit, in Academia sua Geor-  
gia-Augusta, Professoris in Philosophorum ordine  
Extraordinarii munus mihi clementissime demanda-  
re. In vestra, suauissimi Commilitones, commo-  
da omne id, quod in me positum erit, conuerte-  
re summo studio enitar. Maxime vero ad reclu-  
denda sacrorum veteris nouique foederis fontium  
penetralia fidum me & indefessum ducem habebitis.

Quod quomodo sim facturus, crastino die in so-  
lenni panegyri fusius explicabo, publice demon-  
straturus, *Litteraturam Orientis non minus noui quam  
veteris foederis sacris libris intelligendis pernecessariam esse.*

Cum enim primus sim ego, qui post inauguratam solenniter Academiam Professorum Collegio adscribor, placuit Patribus conscriptis huius Academiae, vt, pro more in ceteris Academiis recepto, & a nobis in posterum obseruando, publica quadam solennitate hanc mihi decretam prouinciam occuparem.

Quam meam oratiunculam, crastina luce, hora X. audita, in Auditorio magno Iuridico, declamandam vt beneuole auscultare velitis, MAGNIFICE ACADEMIAE PRORECTOR, ILLVSTRISSIMI COMITES, PROFESSORES EXCELLENTISSIMI, CELEBERRIMI, GENEROSSISSIMI NOBILISSIMIQUE COMMILITONES, & quos praeterea Gottinga habet BONARVM LITERARVM PATRONOS, FAVTORES ATQVE CVLTORES; panegyrimque hanc vestra praesentia condecorare ne grauemini, ea qua par est obseruantia, quam possum humanissime, rogo quae-  
soque. P. P. a. d. Aug. clō lō cc xxxviii,





